

THELYPHRON'S TALE OF THE WITCHES (2.21-30)

1 Pupillus ego Mileto profectus ad spectaculum Olympicum, cum haec etiam loca
2 provinciae famigerabilis adire cuperem, peragrata cuncta Thessalia fuscis avibus
3 Larissam accessi. Ac dum singula pererrans tenuato admodum viatico paupertati
4 meae fomenta conquiro, conspikor medio foro procerum quendam senem. Insistebat
5 lapidem claraque voce praedicabat, siqui mortuum servare vellet, de pretio liceretur.
6 Et ad quempiam praetereuntium "Quid hoc" inquam "comperior? Hicine mortui
7 solent aufugere?" "Tace," respondit ille "nam oppido puer et satis peregrinus es
8 meritoque ignoras Thessaliae te consistere, ubi sagae mulieres ora mortuorum
9 passim demorsicant, eaque sunt illis artis magicae supplementa."

10 [22] Contra ego: "Et quae, tu" inquam "dic sodes, custodela ista feralis?" "Iam
11 primum" respondit ille "perpetem noctem eximie vigilandum est exsertis et
12 inconivis oculis semper in cadaver intentis nec acies usquam devertenda, immo ne
13 obliquanda quidem, quippe cum deterrimae versipelles in quodvis animal ore
14 converso latenter adrepant, ut ipsos etiam oculos Solis et Iustitiae facile frustrentur;
15 nam et aves et rursus canes et mures immo vero etiam muscas induunt. Tunc diris
16 cantaminibus somno custodes obruunt. Nec satis quisquam definire poterit quantas
17 latebras nequissimae mulieres pro libidine sua comminiscuntur. Nec tamen huius
18 tam exitiabilis operae merces amplior quam quaterni vel seni ferme offeruntur aurei.
19 Ehem, et quod paene praeterieram, siqui non integrum corpus mane restituerit,
20 quidquid inde decerptum deminutumque fuerit, id omne de facie sua desecto
21 sarcire compellitur."

22 [23] His cognitis animum meum conmasculo et ilico accedens praeconem: "Clamare"
23 inquam "iam desine. Adest custos paratus, cedo praemium." "Mille" inquit
24 "nummum deponentur tibi. Sed heus iuvenis, cave diligenter principum civitatis filii
25 cadaver a malis Harpyiis probe custodias." "Ineptias" inquam "mihi narras et nugas
26 meras. Vides hominem ferreum et insomnem, certe perspicaciorem ipso Lynceo vel
27 Argo et oculeum totum." Vix finieram, et ilico me perducit ad domum quampiam,
28 cuius ipsis foribus obseptis per quandam brevem posticulam intro vocat me et

29 conclave quoddam obseratis luminibus umbrosum <intrans> demonstrat matronam
30 flebilem fusca veste contectam, quam propter adsistens: "Hic" inquit "auctoratus ad
31 custodiam mariti tui fidenter accessit." At illa crinibus antependulis hinc inde
32 dimotis etiam in maerore luculentam proferens faciem meque respectans: "Vide oro"
33 inquit "quam expergite munus obeas." "Sine cura sis", inquam "modo corollarium
34 idoneum compara."

35 [24] Sic placito consurrexit et ad aliud me cubiculum inducit. Ibi corpus
36 splendentibus linteis coopertum introductis quibusdam septem testibus manu
37 revelat et diutine insuper fletu obtestata fidem praesentium singula demonstrat
38 anxie, verba concepta de industria quodam tabulis praenotante. "Ecce" inquit "nasus
39 integer, incolumes oculi, salvae aures, inlibatae labiae, mentum solidum. Vos in hanc
40 rem, boni Quirites, testimonium perhibetote", et cum dicto consignatis illis tabulis
41 facessit. At ego: "Tuae," inquam "domina, cuncta quae sunt usui necessaria nobis
42 exhiberi." "At quae" inquit "ista sunt?" "Lucerna" aio "praegrans et oleum ad lucem
43 luci sufficiens et calida cum oenophoris et calice cenarumque reliquiis discus
44 ornatus." Tunc illa capite quassanti: "Abi," inquit "fatue, qui in domo funesta cenas et
45 partes requiris, in qua totiugis iam diebus ne fumus quidem visus est ullus. An istic
46 comissatum te venisse credis? Quin sumis potius loco congruentes luctus et
47 lacrimas?" Haec simul dicens respexit ancillulam et: "Myrrhine," inquit "lucernam et
48 oleum trade confestim et incluso custode cubiculo protinus facesse."

49 [25] Sic desolatus ad cadaveris solacium perfrictis oculis et obarmatis ad vigiliis
50 animum meum permulcebam cantationibus, cum ecce crepusculum et nox provecta
51 et nox altior et dein concubia altiora et iam nox intempesta. Mihique oppido formido
52 cumulatior quidem cum repente introrepens mustela contra me constitit
53 optutumque acerrimum in me destituit, ut tantillula animalis prae nimia sui fiducia
54 mihi turbarit animum. Denique sic ad illam: "Quin abis," inquam "inpurata bestia,
55 teque ad tui similes musculos recondis, antequam nostri vim praesentariam
56 experiaris? Quin abis?" Terga vortit et cubiculo protinus exterminatur. Nec mora,
57 cum me somnus profundus in inum barathrum repente demergit, ut ne deus
58 quidem Delphicus ipse facile discerneret duobus nobis iacentibus quis esset magis
59 mortuus. Sic inanimis et indigens alio custode paene ibi non eram.

60 [26] Commodum noctis indutias cantus perstrepebat cristatae cohortis. Tandem
61 expergitus et nimio pavore perterritus cadaver accurro et admoto lumine
62 revelataque eius facie rimabar singula, quae cuncta convenerant; ecce uxor misella
63 flens cum hesternis testibus introrumpit anxia et statim corpori superruens
64 multumque ac diu deosculata sub arbitrio luminis recognoscit omnia, et conversa
65 Philodespotum requirit actorem. Ei praecipit bono custodi redderet sine mora
66 praemium, et oblato statim: "Summas" inquit "tibi, iuvenis, gratias agimus et
67 hercules ob sedulum istud ministerium inter ceteros familiares dehinc
68 numerabimus." Ad haec ego insperato lucro diffusus in gaudium et in aureos
69 refulgentes, quos identidem in manu mea ventilabam, attonitus: "Immo," inquam
70 "domina, de famulis tuis unum putato, et quotiens operam nostram desiderabis,
71 fidenter impera." Vix effatum me statim familiares omen nefarium exsecrati raptis
72 cuiusque modi telis insecuntur; pugnis ille malas offendere, scapulas alius cubitis
73 inpingere, palmis infestis hic latera suffodere, calcibus insultare, capillos distrahere,
74 vestem discindere. Sic in modum superbi iuvenis Aoni vel musici vatis Piplei
75 laceratus atque discerptus domo proturbor.

76 [27] Ac dum in proxima platea refovens animum infausti atque improvidi sermonis
77 mei sero reminiscor dignumque me pluribus etiam verberibus fuisse merito
78 consentio, ecce iam ultimum defletus atque conclamatus processerat mortuus
79 rituque patrio, utpote unus de optimatibus, pompa funeris publici ductabatur per
80 forum. Occurrit atratus quidam maestus in lacrimis genialem canitiem revellens
81 senex et manibus ambabus invadens torum voce contenta quidem sed adsiduis
82 singultibus impedita: "Per fidem vestram," inquit "Quirites, per pietatem publicam
83 perempto civi subsistite et extremum facinus in nefariam scelestamque istam
84 feminam severiter vindicate. Haec enim nec ullus alius miserum adolescentem,
85 sororis meae filium, in adulteri gratiam et ob praedam hereditariam extinxit
86 veneno." Sic ille senior lamentabiles questus singultim instrepebat. Saevire vulgus
87 interdum et facti verisimilitudinem ad criminis credulitatem impelli. Conclamant
88 ignem, requirunt saxa, famulos ad exitium mulieris hortantur. Emeditatis ad haec
89 illa fletibus quamque sanctissime poterat adiurans cuncta numina tantum scelus
90 abnuebat.

91 [28] Ergo igitur senex ille: "Veritatis arbitrium in divinam providentiam reponamus.
92 Zatchlas adest Aegyptius propheta primarius, qui mecum iam dudum grandi
93 praemio pepigit reducere paulisper ab inferis spiritum corpusque istud postliminio
94 mortis animare", et cum dicto iuvenem quempiam linteis amiculis iniectum
95 pedesque palmeis baxeis inductum et adusque deraso capite producit in medium.
96 Huius diu manus deosculatus et ipsa genua contingens: "Miserere," ait "sacerdos,
97 miserere per caelestia sidera per inferna numina per naturalia elementa per nocturna
98 silentia et adyta Coptica et per incrementa Nilotica et arcana Memphitica et sistra
99 Phariaca. Da brevem solis usuram et in aeternum conditis oculis modicam lucem
100 infunde. Non obnitimur <necessitati> nec terrae rem suam denegamus, sed ad
101 ultionis solacium exiguum vitae spatium deprecamur." Propheta sic propitiatus
102 herbulam quampiam ob os corporis et aliam pectori eius imponit. Tunc orientem
103 obversus incrementa solis augusti tacitus imprecatus venerabilis scaenae facie studia
104 praesentium ad miraculum tantum certatim adrexit.

105 [29] Immitto me turbae socium et pone ipsum lectulum editiorem quendam lapidem
106 insistens cuncta curiosis oculis arbitrabar. Iam tumore pectus extolli, iam salubris
107 vena pulsari, iam spiritu corpus impleri; et adsurgit cadaver et profatur adulescens:
108 "Quid, oro, me post Lethea pocula iam Stygiis paludibus innatantem ad
109 momentariae vitae reducit officia? Desine iam, precor, desine ac me in meam
110 quietem permittite." Haec audita vox de corpore, sed aliquanto propheta commotior:
111 "Quin refers" ait "populo singula tuaeque mortis illuminas arcana? An non putas
112 devotionibus meis posse Diras invocari, posse tibi membra lassa torqueri?" Suscipit
113 ille de lectulo et imo cum gemitu populum sic adorat: "Malis novae nuptae
114 peremptus artibus et addictus noxio poculo torum tepentem adultero mancipavi."
115 Tunc uxor egregia capit praesentem audaciam et mente sacrilega coarguenti marito
116 resistens altercat. Populus aestuat diversa tendentes, hi pessimam feminam
117 viventem statim cum corpore mariti sepeliendam, alii mendacio cadaveris fidem
118 non habendam.

119 [30] Sed hanc cunctationem sequens adulescentis sermo distinxit; nam rursus altius
120 ingemescens: "Dabo," inquit "dabo vobis intemeratae veritatis documenta perlucida
121 et quod prorsus alius nemo cognoverit indicabo." Tunc digito me demonstrans:

122 "Nam cum corporis mei custos hic sagacissimus exsertam mihi teneret vigiliam,
123 cantatrices anus exuviis meis imminentes atque ob id reformatae frustra saepius cum
124 industriam eius fallere nequivissent, postremum iniecta somni nebula eoque in
125 profundam quietem sepulto me nomine ciere non prius desierunt quam dum
126 hebetes artus et membra frigida pigris conatibus ad artis magicae nituntur obsequia.
127 <At> hic utpote vivus quidem sed tantum sopore mortuus, quod eodem mecum
128 vocabulo nuncupatur, ad suum nomen ignarus exsurgit, et in inanimis umbrae
129 modum ultroneus gradiens, quamquam foribus cubiculi diligenter obclusis, per
130 quoddam foramen prosectis naso prius ac mox auribus vicariam pro me lanienam
131 sustinuit. Utque fallaciae reliqua convenirent, ceram in modum prosectorum
132 formatam aurium ei adplicant examussim nasoque ipsius similem comparant. Et
133 nunc adsistit miser hic praemium non industriae sed debilitationis consecutus."

134 His dictis perterritus temptare formam adgredior. Iniecta manu nasum prehendo:
135 sequitur; aures pertracto: deruunt. Ac dum directis digitis et detortis nutibus
136 praesentium denotor, dum risus ebullit, inter pedes circumstantium frigido sudore
137 defluens evado. Nec postea debilis ac sic ridiculus Lari me patrio reddere potui, sed
138 capillis hinc inde laterum deiectis aurium vulnera celavi, nasi vero dedecus linteolo
139 isto pressim adglutinato decenter obtexi.